



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Assertio Septem Sacramentorum Aduersus Mart. Lutherum

Heinrich <VIII., England, König>

Parisiis, 1562

Septimum. Strophae quaedam & mendacia cauillique Lutherani
deteguntur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-30233

morum patrum omniū calculus. Scriptu-
rarum etiā authoritas eidem astipulatur.
Sed & infensissimi Christiani nominis
aduersarij, huic plane suffragantur, quan-
doquidē suis libris testatur palā, quod ceteris
abrogatis veteribus sacrificijs, hoc
solum quod iuxta ritum Melchisedech in
pane vinoque fit, vsu perpetuo celebra-
bitur. Sed hæc in libello quem diximus,
fusus & apertius continentur.

STROPHAE QVAEDAM
& mendacia cauillique Luthe-
rari deteguntur.

Cap. VII.

Nunc igitur septimo loco
quibus strophis, mendacijs,
sycophantijs, argumenta
Regia refellere conetur, ex-
pedemus. In simulat primò
Regem vnicam rationem attulisse, nimi-
rum hanc: Si missa nõ esset opus bonum,
laici nihil pro ea tribuerent clericis tem-
poralis beneficij. Nec hoc mendacio cõ-
tentus, tandem post multa conuicia sub-
dit: Memento lector, ab assertore Rege
nullam aliam afferri rationem pro missa
sua, quam istam. At vtrumque profectò

*Lutheripri-
mum men-
daciū.*

mendacium est, & quod Rex hac ratione molitus fuerat probare missam opus esse, & quod nullam aliam ad id probandum attulerat, præter hanc. Prius illud facile constabit, ubi contextum ipsum totius Regij sermonis descripserimus. Sic enim Rex, ubi ceteros Lutheri cõcionatores equat, nisi quod hi concinnius ac verius quoque quam Lutherus, ad ipsum testamentum referebant non tantum ea quæ Christus fecit in ecena, sed etiam quæ passus est in cruce, continuo per ironiam ludit: Hoc vno tantum, inquit, impares Lutheri, quod mirabiles & hactenus inauditos Missæ fructus non inuenerunt quibus & clerus presentis vitæ fractum omnem, & populus future perderet. Cuius rei rationem Rex illico subiecit, dicens: Neque enim sacerdotibus quicquam laici temporalis boni conferrent ob missam, è qua persuaderentur nihil se spiritualis boni referre. Ecce lector, hac ratione Rex. haudquaquam molitus fuit ostendere Missam esse opus, sed quod clerus omnem fructum emolumentum temporalis esset perditurus, si laici nullum ex missa per clerum celebrata spiritalem fructum se sperarent affecturos.

Hic igitur, vt vides, vnum mēdaciū est,
iam audies & alterum. Negauit Lutherus *Secundus*
aliam à Re generationem præter illā quam
Lutherus falso cōmentus est, afferri: quod
etiā falsissimum est. Nam ex ipsis Lutheri
fundamentis docet Rex, Missam & opus
& sacrificium esse. Verum quū Regia ra-
tio prolixior sit, & oratorio more fluat,
nos eam in formā breuiorē contrahemus.
Ego (inquit Rex) istud fundamētū ci per-
mittā. quod immobile postulat esse, non
mouebo: tantū ostendā ēdificium quod
superstruxit, facile per se corruere. Esto
Christus fuisset in cœna testatus: par ta-
men est, vt id sit testatus, quod post mor-
tem voluit in sui memoriā fieri. Quāob-
rem & præcipua testamenti pars fuit, vt
in sui commemorationem hæc ipsa disci-
puli facerent. Propter quod & dixit, Hoc *Lucæ. 22.*
facite in meā cōmemorationem. At non
tūm cœnantis cōmemorationem intelle-
xit, sed postea crucifixi: quod & ex verbis
Pauli manifestum est, qui simul atque di-
xisset, Quocienscunque panem hunc co- *1. Cor. 10.*
mederitis, & calicem biberitis: protinus
adiecit, non cœnam domini, sed mortem
domini annuntiabit. Hoc est ergo quod

in missa representatur, ipsum videlicet crucis sacrificium: quod quum ipsa Missa supralam referat eadem satis appositè sacrificium appellatur. Quamobrem & sacerdotes qui mortem eius in missa representant, corpus à sanguine seorsum offerunt & immolant. Iam enim exequitur quod in memoriã suę mortis fieri in coena mandavit: Mortem etenim testatoris, ut Lutherus ait, testamētum involuit: neque antè vires & robur sumit, aut ab soluti perfectione consummatur, quàm sit is mortuus qui testatus est. Concludit itaque Rex, quod si quis diligenter hæc expendere, videbit Christum sacerdotem æternum, loco sacrificiorum omnium quę sub Mose fuerant, & huius sacrificij gerentem typum, hoc unum instituisse, quod & offerretur deo, & in cibum eidem populo daretur. Intellegis itaque lectorem, quomodo quidē hæc ratio longe diversa sit à priori, iam bis mendacem fuisse Lutherum.

II - Ceterum ut calumniis eius respondeamus, quis sacerdotibus impingit, qui temporarias opes pro Missis accipiunt, an non in libro Genesios ca. xiiij legitur, ubi Melchisedech deo sacrificium

*Inter pro
missa reci-
pere tempo-
ralia.*

panis & vini pro Abrahamæ victoria obtulerit, hunc illi vicissim omnium spoliolorum quæ conquieserat, dedisse decimas? Et Pau. j. ad Cor. 9. dicit: Si nos vobis spiritualia seminamus, magnum est si vestra carnalia metamus?

Sed ad reliquas Regis argumētationes transeamus, quas quū non ignorarit Lutherus, utpote qui conatus est easdem refellere, nō pudet tamen inficiari Regem aliā pro sua Missa rationē attulisse, præter illā primā. Audi igitur lector adhuc & aliā per ipsum Regē introductā. Quæremus (inquit) a Luthero, an non aliquod opus tum Christus fecerit, quando panem & vinum in suum corpus & sanguinem consecrauit? Quod si neget, mirabimur profecto, si quum is opus faciat, qui imaginem facit ex ligno, Christus nullum prorsus opus fecerit, quum carnem suam faceret ex pane. Hactenus ipse Rex. Et hanc rationē Lutherus recenset peruersissimè. Thomisticatus (inquit) in hunc modum Rex, Qui lignum cædit, facit opus: ergo qui consecrat, facit opus. quare Missa etiā opus erit. Hic perspicis lector Lutherū haudquā ignorasse quin

Secūda Regis ratio pro missa.

cc
cc
cc
Roffensis.

Contra Capti. Babyl. Ca. VII.

Rex aliam attulerit rationem qua missam opus esse doceat, quàm primã illã: quod tamen superius impudentissimè negauit.

Cæterum iam videamus quam stropham conetur hanc rationem eludere. Iocatur ubique duplicem acceptionem Missæ faciens. Alteram, ut eius verbis utar, pro eo quod est consecrare seu proferre verba consecrationis. Alterã pro eo quod est verbum promissionis, adiecto signo panis & vini. Iuxta priorẽ acceptionem fatetur Missam opus esse: negat tamẽ seipsum ita vel per febrẽ vel per phrenesin de Missã cogitare potuisse. Affirmat etiã ad hunc modũ Missam posse multa alia dici. Nam (ut ait) si Missã, consecrare est, potest etiam clamare, cantare, thurificare, cereolos incendere, calicem mundare, hostiã leuare, forte & sternutare, & excreare, Missã dici.

At quis tam crassus est, ut nihil inter hanc & opus consecrationis interesse iudicet? Nam sine pluribus horum missa non incongruẽ celebrari potest. Neque enim cantus & clamor & thurificatio, ut Missa fiat, exiguntur. Verum consecratio sic Missæ substantiam ingreditur, ut

sine consecratione. Missa nunquam esse
 queat. Quis enim vnquam vsque adeo
 phreneticus est, aut per febrem insaniens,
 vt putet se Missam habere posse citra cor
 poris & sanguinis cōsecrationem? Quòd
 si panem & vinum quis habuerit, & li-
 brum in quo scripta fuerint ipsa Christi
 verba, nisi quis eisdem prolatis panem &
 vinum consecrauerit, Missa neutiquam
 habebitur. Vnde & perspicuum est, ne-
 que secundum posteriorem acceptionem
 (quam supra distinxit Lutherus) Missam
 definiri posse, quam tamen ipse verè &
 propriè dici Missam affirmat, nempe ver-
 bum ipsum promissionis cum signo adie-
 cto panis & vini. Quod & paucis mon-
 strabimus. Nam & si præsens fuerit (vt
 diximus) panis & vinum, simul & verbum
 promissionis vel in mente vel in libro
 quouis scriptum, haudum habetur Mis-
 sa, nisi quispiam idoneus ipsa eadem ver-
 ba cum studio consecrandi pronunciet.
 Frustra ergo separat ista Lutherus, quum
 ad Missæ subsistentiam hæc tria pariter
 exigantur. Neque enim verba sola, ne-
 que signa sola, neque vtraque hæc sine
 verborum aliqua prolatione qua panis

*Cōsecratio
 exigitur ad
 essentiam
 Missæ.*

*Prolatio
 verborum
 consecratio
 nis necessa-
 ria est.*

& vinum consecrantur, Missam faciunt.
 Ipsa nimirum sacerdotis actio seu fun-
 ctio potissimum requiritur, quemadmo-
 dum in cœna Christus iubebat, inquit,
 Hoc facite in mei memoriam.

*Missæ est o-
 pus bonum.
 Verba re-
 gis.*

Sed iam ad cauillum, quod aduer-
 sus superiorem Regis rationem obiicit
 Lutherus, respondeamus. Egit utique
 Rex ratione priori non solum ut Mis-
 sa probaretur opus, verum etiam ut ef-
 fet bonum opus. Si Christus, inquit,
 vllum opus fecerit: quin id bonum
 fuerit, nemo opinor dubitabit. Nam
 si bonum opus fecit mulier, quæ ca-
 put eius perfudit vnguento, quis po-
 test ambigere an bonum opus fece-
 rit Christus, quum corpus proprium
 & in cibum exhibuerit hominibus, &
 in sacrificium constituerit offerri deo.
 Quod si negari non potest, nisi ab eo
 qui in re maximè seria velit nugari,
 bonum opus fecisse Christum: nec istud
 etiam negari potest, in Missa bonum
 opus facere sacerdotem, quippe qui
 non aliud facit in Missa, quam Chri-
 stus in cœna fecit & in cruce. Hactenus
 ipse Rex.

Hic Lutherus mire cauillatur. Hac, «
 inquit, ratione Missa non erit bonum «
 opus, nisi bonus sit consecrator. Ma- «
 lus enim male facit consecrando, id «
 est missando. Itaque non dicebit malo «
 sacerdoti consecrare, imò neque pote- «
 rit, quum Missam velint necessariò bo- «
 num opus esse. En perspicis optime le- *Roffensis.*
 stor merum Lutheri cauillum. Sic e-
 nim cauillatur, perinde quasi nihil o-
 peris boni nisi à bono ministro pro-
 duci possit: quod planè falsum est. Nam *Malitia mi-*
 & sacerdos malus baptizans operis boni *nistri nō of-*
 minister est, tametsi non bene faciat. *ficit sacra-*
 Et malus item sacerdos, qui peccato- *mento.*
 rem confessum & resipiscentem absol-
 uit, bonum opus facit, quanquam non
 bene. sicut enim vterque male, tamen-
 si neuter in opere suo malum agat. Et
 de consecrante similiter dici potest, quòd
 licet ipse malus fuerit, opus tamen quod
 facit, bonum est, non solum pro opere
 operato, verumetiam pro opere operan-
 tis: quemadmodum conferens eleemo-
 synam, dum expers fuerit gratiæ, bonum
 opus haud dubie facit, quanquam nō om-
 nino bene fecissè credatur.

Lutherus itaque Regem hic stolidè
carpit, ceu pluribus sui regni negociis
occupatum, quàm vt huius theologiæ re-
cordetur, nempe de opere operato & o-
Opus du-
plex. perantis. In qua re planè suam inscitiam
Lutherus prodit, quum illa distinctio lo-
cum hic non habeat. Neque enim hic de
de fructu Missæ quæritur, qui semper v-
berimus est quatum ad opus operatum,
sive Missa fiat à bono sive à malo. Verum
non ita quantum ad opus operantis, vbi
malus fuerit qui sacrificat. Is enim nul-
lum sibi fructum reportat ex opere ope-
rantis, quanquam opus bonum faciat non
bene. At bonus contrà plurimum tam si-
bi quàm aliis fructum parit: & non modo
bonum opus facit, verum etiam bene.
Parum scitè igitur Lutherus dixit per-
iisse magnificam illam Theologiam, qua
definitum est, Missam etiam mali sacer-
dotis esse semper bonum opus, virtute o-
peris operati, licet non virtute operis o-
perantis. Quod dico propter hanc secun-
Consecratio
mali sacer-
dotis est bo-
num opus. dam partem, quam nullus theologorum
(opinor) asseret vnquam. Nam sacer-
dos consecrans, quantumuis ipse prauus
fuerit, tamen opus eius, sive pro operato,

huc pro operantis opere intelligas, bonum
 est, licet ex ipso opere nihil mercatur. Nam
 & consecratio que est opus operantis, bo-
 na est: & quod fit item ipsa consecratione,
 sacramentum videlicet corporis & san-
 guinis Christi, quod est opus operatum,
 bonum est similiter. At id fecellit Luth-
 erum, quod quum theologi negent fru-
 ctum & meritum aliquod ex opere mali-
 sacerdotis ut operantis oriri, ille putet eos
 etiam omnem ab eius opere bonitatem su-
 stulisse: id quod ipsi neutiquam sentiunt.
 Et tamen adhuc tanta est hominis aut cæ-
 citas, aut impudentia, quod non conten-
 tus hoc semel exprobrasse, inculcat id de-
 nuo, Regi quasi victor insultans, quum sit
 nihil minus. Opprobrat enim Regi, se sua
 propria ignorare, nempe quid intersit in-
 ter opus operatum & operantis: atque ita
 se ipsum confutare, dum impugnat Luth-
 erana: quum tamen haud dubie Rex ipse
 certo sciat eam distinctionem huc nihil
 uttinere, Lutherus contra cæcutiat tur-
 pissimè.

MISSAM NON ESSE

promissionem solam.

Cap. VIII.